

Augusto edictum (quod vocabatur henoticum) suggesserat, quo universum orbem impense perturbavit, abrogato Synodi Chalcedonensis contra Eutychianam hæresim decreto: Idemque Petrum Moggum Alexandrinum Episcopum, ipsosque Felicis Papæ III. Legatos in suas partes attraxit et corripit. Quamobrem Papa Felix Acacium turbarum auctorem communionem fidelium amovit, qui vicem rependens Felicis Pontificis nomen ex Ecclesiasticis diptychis erasit anno 484. Mortuo demum Acacio, Gelasius Felicis in Romana sede successor omni studio connixus est, ut perfidi Acacii nomen ex Græcarum Ecclesiarum diptychis obliteraretur, quem pariter conatum prosecuti sunt insequentis Romani Pontifices, Anastasius et Symmachus inani tamen opera. Sed rem demum obtinuit Hormisda Pontifex, Justino fretus religiosissimo Imperatore, sub quo ablatum diuturnum Schisma, et pax inter Orientis et Occidentis

Ecclesias felicissime restituta, damnata duorum præcedentium hæreticorum Imperatorum Zenonis et Anastasii memoria, deletisque sacris ex tabulis eorum simul et Acacii, cæterorumque sequacium infaustis nominibus post sex et triginta perniciosi Schismatis annos ab excommunicatione Acacii.

(3. Fidem quoque facit Theodoretus lib. 5. *hist. Eccles.* cap. 34. circa gravissimum dissidium occasione Joannis Chrysostomi, factione Eudoxiæ Augustæ et Theophili Alexandrini, qui dicto ad Quercum conciliabulo præsidens Chrysostomum injustissime damnaverat, et Episcopatu ejecerat; sed Innocentius Papa innocenti Episcopi suscepra discussaque causa, ipsum conciliabulo decretum abrogavit, atque in exsilio defuncti memoriam honorifice restitui curavit; nec aliter pax inter Orientis et Occidentis Ecclesias studiis divas iniri potuit, nisi restituito ad sacras tabulas Joannis Chrysostomi nomine (1).

E

EBRIETAS.

Vide verbum CLERICUS, art. 3, a num. 15 ad 20, et verb. IRREGULARITAS, art. 1, sub num. 11, et verbum GULA, a num. 12 ad 21. In talibus enim citatis locis quantum sufficit pertractatum est de hoc titulo.

ECCLESIA.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Ecclesia in sensu morali capta, quoad ejus esse, et principales notas.*

4. Ecclesiæ nomen quid significet. — 2. Ecclesiæ nomen aliquando sumitur generaliter, aliquando particulariter, et quid utrumque importet. — 3. Affertur vera definitio Ecclesiæ, et explicatur per singulas ejus particulas, usque ad n. 9. — 40. Ad hanc Ecclesiam spectant non solum prædestinati, sed etiam reprobi. — 11. Sic etiam ad hanc Ecclesiam spectant non solum justi, sed etiam peccatores. — 12. Ad hanc tamen Ecclesiam non spectant, sed ab ea excluduntur Pagani, Turcæ, Judæi. — 13. Excluduntur etiam Catechumeni. — 14. Item excluduntur Hæretici, et a Fide Apostata. — 15. Item excluduntur Schismatici. — 16. Item excluduntur Excommunicati. — 17. Una, et eadem substantialiter et formaliter est Ecclesia Legis gratiæ, Legis naturæ et Legis scriptæ. — 18. Notæ præcipuæ, per quas vera Ecclesia discernitur a falsis, sunt quatuor: scilicet quod sit Una, Sancta, Catholica et Apostolica. — 19. Prima veræ Ecclesiæ nota demonstratur, et insinuat. — 20. Hæc Ecclesia variis Titulis est Una. — 21. Secunda nota veræ Ecclesiæ explanatur. — 22. Hæc Ecclesia pluribus Titulis dicitur Sancta. — 23. Tertia veræ Ecclesiæ nota, quod scilicet sit Catholica, variis rationibus ostenditur. — 24. Quarta veræ Ecclesiæ nota, quod scilicet sit Apostolica, variis de causis demonstratur. — 25. Sola Ecclesia Romana Catholica habet notas veræ Ecclesiæ Christi, et in ipsa sola potest obtineri salus, et nullus extra ipsam salvatur. — 26. Ecclesia Romana pro eodem sonat ac universalis. — 27. Summus

Lectis autem de mortuis Episcopis, clamabat populus: *Gloria tibi, Domine*, quod factum fuit in Concilio Œcumenico quinto.

(1) Hæc suspensus ex Cabbassutii diatriba de Diptychis; sed his consules sig. Heribertum Rosweydam in onomastico sacro ad vitas Patrum, Cl. Senatorem

Bonarrotium in *observat. ad vitas Cæmet.* Selvaggiu Antiquit. Christian. l. 2. c. 2. § 6 et 7. cum primis vero amplissimum, eruditissimumque *Thesaurum* a celeberrimis viris Gorio et Passerio editum omnium diptychorum quibus tamen adjungendum erit Cremonense ab egregio Viro P. Allegranza Dominicano illustratum.

ARTICULUS III. — *Ecclesia materialis quoad ejus ædificationem, dotationem et reparationem.*

1. Ecclesia materialis juxta varias ejus classes, varia sortitur nomina, quæ assignantur. — 2. Basilicæ secundum aliquos fuerunt sic appellatæ a Basilio Græcorum Imperatore, qui primus sepultus fuit in Ecclesia. — 3. Secundum alios Basilicæ fuerunt dicte Ecclesiæ nondum consecratæ. — 4. Verisimilius tamen est solum majores, principales ac digniores Ecclesias vocari Basilicas. — 5. Cathedralis vocantur, quæ sunt sedes Episcoporum. — 6. Collegiatæ sunt illæ, quæ habent communiter Clericalem quæ capitulariter congregari, et agere potest et solet cum libero usu sigilli, et arcæ sibi communis. — 7. Matrices ultra Ecclesias Cathedralis sunt illæ, quæ alias Ecclesias aliquo modo sibi subjectas habent. — 8. Filiales dicuntur illæ, quæ per divisionem a Matrice, de novo fiunt, vel alteri subjiuntur. — 9. Baptismales sunt illæ, quæ habent Fontes Baptismales ubi Parochiani baptizantur. — 10. Parochiales sunt illæ, in quibus populus eisdem deputatus sub certis locorum finibus et limitibus constitutus degit, et unus Rector ad uniuscujusque regimen assumitur cum potestate Fori pœnitentialis. — 11. Parochiales et Baptismales, ut plurimum tum in Jure, tum in facto confunduntur. — 12. Baptismales dicuntur etiam Matrices. — 13. Pro Ecclesia de novo ædificanda requiritur consensus seu licentia Episcopi loci. — 14. Episcopi licentia requiritur etiam si quis haberet privilegium Ecclesiæ ædificandi. — 15. Episcopus non debet talem licentiam denegare sine rationabili motivo, alias datur recursus. — 16. Non requiritur talis licentia Episcopi pro ædificando Oratorio privato in propria domo. — 17. Pro ædificanda Ecclesia una cum Monasterio Regularium, ultra consensus Episcopi, requiritur etiam consensus Papæ, maxime in Italia et insulis adjacentibus. — 18. Clemens IV. concessit privilegium Fratrum Minoribus, quod prope eorum Ecclesias per spatium 500 cannarum non possint ab aliis Mendicantibus, vel Monialibus cujuscumque Ordinis construere Monasteria, vel Ecclesiæ. — 19. Hoc tamen speciale privilegium Ordini Minorum concessum quoad 500 cannas, censetur revocatum per non usum, et ex variis posterioribus Bullis aliorum Pontificum fuit indefinite quoad omnes Mendicantes reductum ad 140 cannas. — 20. Privilegium 140 cannarum non solum habent Mendicantes contra alios Mendicantes, sed eo utuntur contra omnes cujuscumque ordinis. — 21. Procedit hoc privilegium etiam contra Presbyteros sæculares in communi viventes. — 22. Et etiam contra Ecclesiam Congregationis Laicorum. — 23. Patres Societatis Jesu habent peculiare privilegium, ut possint ædificare intra spatium etiam 140 cannarum prope quemcumque Conventum, seu Ecclesiam. — 24. Privilegium distantie 140 cannarum attendendum est etiam in translatione Ecclesiæ et Conventus. — 25. Per tale privilegium impediri non potest ampliatio Conventus, si jam fuerit legitime erectus. — 26. Secus vero si erectio non fuerit legitime facta, vel fuerit tantum permissa parva Ecclesia. — 27. Tale privilegium distantie 140 cannarum locum non habet in Domibus, seu Hospitaliis Regularium quæ non habent Ecclesiam publicam, nec etiam in Seminariis. — 28. Privilegium distantie 140 cannarum est saltem pluribus usu receptum, nec tollitur per non usum in aliquibus casibus. — 29. Hinc non licet Ordinario contra hujusmodi privilegia aliquid innovare. — 30. Neque hoc privilegium abrogatum censetur per Bullas Clem. VIII. Greg. XV. Urb. VIII. et Innoc. X. — 31. Privilegium 140 cannarum non esse usum receptum tenent varii; unde videtur in hoc servanda consuetudo cujuscumque loci. — 32. Mensuratio hujusmodi distantie 140 cannarum debet fieri per aerem, non autem per terram. — 33. Longitudo cannarum debet

esse pro qualibet octo palmorum mensura. — 34. Pro ædificanda Ecclesia requiritur insuper, ut assignetur Dos sufficiens, et congrua pro iis, quæ ad illius reparationem, cultum et ministros sunt necessariae, alias ædificari nequit. — 35. Si quis absque dotis assignatione Ecclesiam construxerit, obligatur ad eam constituendam eo ipso quod construxerit, et mortuo ædificatore, tenentur ejus Hæredes. — 36. Si Ædicator impotens esset ad dotem constituendam, et Ecclesia fuit ædificata de consensu Episcopi, eamque absque dote, vel absque cautione consecravit, teneretur ipse Episcopus ad ipsam dotem constituendam, etc. — 37. Id tamen Episcopus tenetur facere de proprio sine læsione Ecclesiæ. — 38. Cappella potest erigi sine dote. — 39. Dummodo tamen non adsit in ea speciale Beneficium erectum, aut aliquod onus impositum, alias esset assignanda dos juxta onus. — 40. Dos assignanda Ecclesiæ debet esse competens, et sufficiens pro ipsius Ecclesiæ Ministris, Luminariis, aliisque necessariis, et pro cognoscenda sufficientia dotis, potest etiam respectus haberi ad decimas oblationes, etc. — 41. Pro cognoscenda sufficientia dotis novæ Ecclesiæ Regularium ædificandæ, debent hodie attendi Decreta Sacræ Congregationis Concilii jussu Urbani VIII. edita, etc. — 42. Pro ædificanda Ecclesia requiritur ulterius, ut ipsa Ecclesia noviter ædificanda non vergat in præjudicium alterius Ecclesiæ, præsertim Parochialis. — 43. Hinc si ab Episcopo permittatur ædificatio Ecclesiæ in præjudicium Parochialis, potest Parochus se opponere, et a licentia concessa appellare. — 44. Si tamen in licentia concessa sint ab Episcopo reservata Jura Parochialis, tunc nec requiritur consensus Parochi, nec ipse Parochus potest contradicere, et ædificationem impedire. — 45. Referuntur ad hoc varia Decreta, usque ad n. 50. — 51. Antequam ædificetur Ecclesia, debet Episcopus accedere ad locum, ubi ipsa Ecclesia ædificanda est, et ibidem publice Atrium designare, Crucem figere, et primum lapidem ponere. — 52. Potest autem Episcopus per alium Crucem figere et primum lapidem ponere. — 53. Pro Ecclesia ædificanda, sive amplianda potest cogi vicinus ad vendendam domum vel alium situm. — 54. Domum vicinam cogitur quis vendere, etiam si non fuerit contigua Ecclesiæ sed via publica adfuerit media. — 55. Domus vicina compellitur vendi pro ædificanda, amplianda et reparanda Ecclesia, etiam si fuerit perpetui fideicommissi, aut majoratus. — 56. Immo conclusio procedit, etiam si Domus fuerit alterius Ecclesiæ, aut alterius causæ piæ. — 57. Ad hoc ut quis teneatur Domum vel alium situm vendere pro ædificanda, amplianda, vel reparanda Ecclesia quatuor conditiones requiruntur. — 58. Prima est, quod solvatur justum pretium. — 59. Secunda est, quod adsit necessitas. — 60. Tertia est, quod Domus sit contigua, et aliis vicinior. — 61. Quarta est, quod talis venditio non fiat cum magno incommodo vendentis, et parvo commodo Ecclesiæ ædificantis. — 62. Si ista concurrant qui habet Domum vicinam, potest cogi ad venditionem, sin minus nequaquam. — 63. Pro reparanda corrue Ecclesia standum est specialibus locorum consuetudinibus. — 64. Nulla speciali consuetudine in loco existente, Ecclesia debet reparari de suis redditibus. — 65. Si Ecclesia nullos habet redditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare tenetur, si sit Parochialis, proprius Parochus. — 66. Et si Ecclesia non sit Parochialis, ad eam reparandam tenentur in ea Beneficium habentes. — 67. Si Ecclesia nullos redditus habeat, et Beneficium non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiant, tunc ad Ecclesiam reparandam tenentur Patroni et Parochiani, qui in illa Sacramenta, et alia Divina percipiunt. — 68. Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis tenetur solus Episcopus, si tamen habeat redditus superfluos, et ipsa Ecclesia non habeat spo-

ciales redditus pro fabrica, et non adsit legitima consuetudo in contrarium. — 69. Si episcopus redditus superfluos non habet, tunc ad reparationem tenetur, et compelli possunt Canonici superfluos redditus habentes. — 70. Si nec Episcopus, nec Canonici habent redditus superfluos, aut sufficientes ad reparationem, tunc Episcopus una cum Capitulo posset compellere alios inferiores Clericos ad contribuendum de suis superfluis redditibus, vel etiam posset deputare fructus Beneficiorum pro reparatione ipsius Ecclesiae. — 71. Qui tenentur ad reparationem Ecclesiae, tenentur etiam ad reparationem aedium Rectoris Ecclesiae. — 72. Immo supradicti (deficientibus Ecclesiae redditibus, et contraria non extante legitima consuetudine) tenentur etiam ad procuranda, et reparanda paramenta et ornamenta Ecclesiastica. — 73. Ad haec, et similia adducitur recens decretum. — 74. Ecclesiae olim quando edificabantur, caput illarum, seu Altare majus respiciebat partem orientalem. — 75. Nec sine suis congruentiis erigebantur sic Ecclesiae versus Orientem. — 76. Adducitur prima congruentia. — 77. Adducitur secunda congruentia. — 78. Adducitur tertia congruentia. — 79. Adducitur quarta congruentia. — 80. Hic modus erigendi Ecclesias, licet sit congruentior, non est tamen omnino necessarius. — 81. Forma Ecclesiarum, qua a principio ex Apostolorum traditione utebantur Christiani, semper eadem fuit, longa nimirum, et in Navis speciem. — 82. Ecclesia in tres partes, seu mansiones distribuitur. Prima pars Sacrarium sive Presbyterium sive Sancta Sanctorum appellatur; Secunda, Chorus; Tertia, Navis. — 83. Sacrarium, sive presbyterium, sive sancta Sanctorum est ea mansio, quae ab Altari majori vergit versus Ecclesiam. — 84. Quare appellatur Presbyterium. — 85. Presbyterium est nobilior pars Ecclesiae. — 86. Quare appellatur Sancta Sanctorum. — 87. Quare appellatur Sacrarium. — 88. Secunda Ecclesiae pars appellatur Chorus; et unde sit dictus, usque ad numer. 89. — 90. Mos alternatim Psalmos canendi quando inceperit, usque ad num. 91. — 92. Tertia Ecclesiae pars appellatur Navis deserviens pro receptaculo laicorum Divinis assistentium. — 93. In hac parte Ecclesiae olim Mares a Foeminis separati constituebantur, Mares in dextera Navis parte, et Foeminae in sinistra. — 94. Et hoc fuit constitutum ab ipsismet Apostolis. — 95. 402. Quaedam illustranda circa obligationem, qua tenetur vicinus vendendi domum vel alium situm pro aedificatione vel ampliatione Ecclesiae. — 103. 414. Alia de reparatione Ecclesiae. — 115. 124. De illis qui ad reparationem tenentur.

ARTICULUS IV. — *Ecclesia quoad ejus Consecrationem, Exsecrationem et Reconciliationem.*

1. Consecratio Ecclesiae quid sit. — 2. Solus Episcopus loci de Jure communi potest Ecclesiam consecrare. — 3. Episcopus debet esse proprius illius Dioecesis, in cuius finibus sita est Ecclesia consecranda. — 4. Non potest Episcopus in Dioecesi aliena consecrare Ecclesiam absque permissione proprii Episcopi. — 5. Episcopus consecrans Ecclesiam in aliena Dioecesi absque permissione proprii Episcopi suspenditur per annum ab exercitio Pontificalium, et a celebratione Missarum. — 6. Consecratio tamen Ecclesiae facta ab Episcopo in aliena Dioecesi sine permissione proprii Episcopi remanet valida. — 7. Episcopus non potest delegare potestatem consecrandi Ecclesias simplicis Sacerdoti, sive non Episcopo. — 8. Regulares habent privilegium benedicendi solemniter proprias Ecclesias, ut possint in ipsis Missae celebrari ac si ab Episcopo essent consecratae. — 9. Insuper Regulares habent privilegium, ut quilibet alius Episcopus possit consecrare suas Ecclesias, quoties Episcopus Dioecesanus ab ipsis debito modo requisitus noluit consecrare, aut id facere distulerit ultra quatuor menses. — 10. Tale privilegium non est revocatum

per Conc. Trid. — 11. Ecclesiae consecrari possunt qualibet die etiam non Festiva. — 12. Non possunt tamen Ecclesiae consecrari nisi inter Missam. — 13. Hinc Episcopus peccat, si absque celebratione Missae Ecclesiam consecret. — 14. Consecratio tamen remanet valida. — 15. Ecclesiae Cathedralis, et Parochiales cum majoribus saltem Altaribus intra Annum in Civitatibus, et in Dioecesibus intra biennium post earum restaurationem sunt ab Episcopo consecrandae. — 16. Ecclesia semel consecrata non est iterum consecranda. — 17. Si tamen ignoretur, aut dubitetur, an fuerit consecrata, nec ne, tunc est consecranda. — 18. Ecclesia non est consecranda, nisi prius ei de dote competente provisum fuerit. — 19. Ecclesia ex toto, vel ex majori parte simul destructa exsecratur, et indiget nova consecratione, licet ex eadem materia reaedificetur. — 20. Si Ecclesia per partes successive deficiens, paulatim per partes statim reficitur, non indiget nova consecratione, quamvis tota Ecclesia successive per partes ita destruat, et reficiatur, ut nulla pars de primo aedificio supersit. — 21. Unde in tali casu sufficit, si nova pars aquae benedictae aspersione exorcizetur. — 22. Si non tota Ecclesia, nec major, sed solum aliqua minor pars ejusdem, v. g. tectum corruat, parietibus adhuc illis, non indiget nova consecratione. — 23. Si Ecclesia ita igne comburatur, ut parietes interiores ex toto, vel ex majori parte sint devastati, vel abradi, quamvis non corruant, indiget nova consecratione. — 24. Quando Ecclesia ampliatur si nova pars addita sit minor veteri remanente, non indiget nova consecratione, sed sufficit quod pars nova aquae benedictae aspersione exorcizetur. — 25. Si vero pars nova esset major veteri remanente, tunc Ecclesia esset denuo consecranda. — 26. Ecclesia pluribus casibus, et modis polluitur, ita ut indigeat reconciliatione. Primus est, quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili per voluntariam, injuriosam et graviter peccaminosam actionem effunditur. — 27. Ad hoc ut Ecclesia polluat, sanguis effusus debet esse humanus. — 28. Ecclesia efficitur polluta, sive proprius sive alienus sanguis in ipsa effundatur. — 29. Sanguinis effusio, ut polluat Ecclesiam debet esse in quantitate notabili. — 30. Et tanto minus diceretur polluta, si nullus efflueret Sanguis, quamvis in ipsa quis summa cum injuria graviter verberaretur, etc. — 31. Immo Sanguinis effusio, quamvis sit copiosa, non sufficit, ut Ecclesia sit polluta, nisi sit causata per percussionem graviter peccaminosam. Si enim percussio fuerit levis, quamvis sanguis copiose effundatur, non ideo erit polluta Ecclesia. — 32. Si Sanguis copiose effluat de naso ex percussione violenta inter majores quatuordecim annorum, tunc efficitur polluta Ecclesia. — 33. Effusio sanguinis ad hoc ut inducat violationem Ecclesiae debet esse plene voluntaria. — 34. Debet insuper talis effusio sanguinis ad hoc ut violet Ecclesiam, esse injuriosa. — 35. Ut Ecclesia violetur, requiritur ulterius, quod effusio sanguinis copiosi causetur in ipsa Ecclesia. — 36. Secundus casus, quo polluitur Ecclesia est, quando in ea committitur voluntarium et injuriosum homicidium, sive respectu sui, sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur. — 37. Ad hoc ut per homicidium polluat Ecclesia, debet tale homicidium esse voluntarium, et injuriosum, quia ob causale homicidium vel factum sine alterius injuria ob justam sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelae non violatur Ecclesia. — 38. Violatur tamen Ecclesia per mortem reo illatam in ipsa ex sententia Judicis. — 39. Non violatur autem Ecclesia, si idem Judex, aut quisvis alius super ipsius Ecclesiae tectum, vel ex ejusdem parietibus hominem suspendat. — 40. Si quis extra Ecclesiam mortale vulnus recipiat, et postea ratione ejusdem vulneris moriatur intra Ecclesiam, non violatur per hoc Ecclesia. Secus vero e contra. — 41. Si quis existens intra Ecclesiam

occidat jaculo hominem existentem extra ipsam, non violatur per hoc Ecclesia. Secus vero e contra. — 42. Adducitur, et solvitur objectio, ad n. 43. — 44. Ecclesia violatur, si quis in ipsa pro defensione Fidei homicidium, et ita Martyrium intra Ecclesiam patiat. — 45. Tertius casus, quo polluitur Ecclesia est, quando humanum semen in Ecclesia criminoze, voluntarie, et notorie est effusum, sive sit hominis, sive mulieris, sive haeretici, aut infidelis, etc. — 46. Non violatur Ecclesiam seminis effusio facta in somnis. — 47. Nec violatur Ecclesia per pollutionem, quam quis invitatus patitur, nec per menstruum foeminarum decidens. — 48. Nec violatur Ecclesia per seminis effusionem etiam voluntarie factam supra tectum Ecclesiae, vel subtus Ecclesiam in aliqua caverna aut in aliqua Cella, vel Choro, Sacristia, Campanili, Tribuna, et Confessario extra Ecclesiae corpus. — 49. Violatur tamen Ecclesia per copulam conjugalem, si in ipsa Ecclesia habeatur extra necessitatem. — 50. Non violatur autem, si in ipsa habeatur copula in casu necessitatis. — 51. Quartus casus, quo polluitur Ecclesia est, quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus vitandus, aut infidelis. — 52. Ecclesia polluitur per sepulturam infidelis, etiamsi talis esset infans. Immo probabiliter polluitur etiam per sepulturam infantis nonbaptizato filio parentum fidelium. — 53. Probabilis tamen est etiam contraria sententia de infante non baptizato filio parentum fidelium. — 54. Si in Ecclesia fuerint sepulti haeretici non denunciati nominatim, etiamsi alias notorii, non censetur violata Ecclesia. — 55. Sic nec violatur Ecclesia per sepulturam ejus qui in duello decessit, nisi denunciatus fuerit. — 56. Omnes supra recensiti casus, in quibus fuit dictum pollui Ecclesiam, requirunt quod sint publici seu publice innotuerint. — 57. Si vero tales casus ab initio occulti, postea publice innotescant, ex eo tempore debet Ecclesia haberi pro polluta, et necessario debet reconciliari. — 58. Effectus violationis Ecclesiae sunt, et assignantur. — 59. Si quis in Ecclesia publice polluta Missam celebrat, aut peragit Divina Officia, aut defunctum sepelit, peccat quidem mortaliter, irregularis tamen, aut suspensus non efficitur. — 60. Si Sacerdos sciat, solum ex Sacramentali Confessione Ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare, neque opus est aliqua reconciliatione. — 61. Quando in actu celebrationis Missae violatur publice Ecclesia, si id contigerit ante Canonem, est statim a sacrificio cessandum; secus post Canonem. — 62. Polluta Ecclesia polluitur etiam Coemeterium ei contiguum. Secus si remotum fuerit ab eadem. — 63. Polluto autem Coemeterio, quamvis Ecclesia contigua, non polluitur Ecclesia. — 64. Quando sunt plura Coemeteria, polluto uno Coemeterio, aliud illi contiguum non polluitur, licet per portam de uno in aliud detur ingressus. — 65. Reconciliatio Ecclesiae pollutae si prius fuerat consecrata, non potest fieri ab alio quam ab Episcopo Dioecetano, vel de ejus consensu ab alio Episcopo. Nec ab Episcopo Dioecetano potest ad hoc delegari simplex Sacerdos. — 66. Afferuntur ad haec varia Decreta. — 67. Ex privilegio, seu commissione summi Pontificis reconciliatio Ecclesiae pollutae potest fieri etiam a simplici Sacerdote. — 68. Et de facto Praelati Regulares habent tale privilegium reconciliandi Ecclesias sibi subjectas, quomodocumque violatas, etiamsi prius consecratae; aqua quidem per ipsos benedicta, si Episcopus distet ultra duas dietas, alias debent uti aqua per Episcopum benedicta. — 69. Dicto privilegio reconciliandi Ecclesias aqua per ipsos benedicta possunt uti Regulares non solum quando Sedes Ordinaria Episcopi distat duabus dietis ab Ecclesia polluta, sed etiam quando Episcopus taliter distat ratione suae absentiae, vel abest causa mortis, renunciationis, depositionis, exsilii, etc. — 70. Quilibet dieta continet 20. milliaria Italica. — 71. Si Ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo bene-

dicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem Sacerdotem per solam aquae lustralis aspersionem. — 72. Neque requiritur quod aqua pro reconcilianda Ecclesia non consecrata sit per Episcopum benedicta. — 73. Coemeterium consecratur et reconciliatur iisdem modis, et ab iisdem, quibus consecratur, et reconciliatur Ecclesia. — 74. 78. Cur Ecclesia semel solemniter consecrata, denuo consecrari nequeat. — 79. 84. Quomodo possit constare de consecratione Ecclesiae. — 85. 86. De ritibus consecrationis. *Remissive.*

ARTICULUS V. — *Quoad varia miscellanea Ecclesiam concernentia.*

1. In Ecclesia servitus, prospectus, vel transitus haberi non potest sine Indulto Apostolico. Et sic nec Cryptae, et aditus subterranei ad ipsam. — 2. Hoc indultum saepe petentibus denegatur. — 3. Talis prohibitio vim habet etiam in eo qui habet januam correspondentem in Domo Parochi Ecclesiae contigua. — 4. Immo nequidem Ducibus et Marchionibus id permitti potest. — 5. Uade non debet Ordinarius permittere, ut ab Ecclesiis sit ingressus, transitus, et prospectus in privatas aedes neque super Ecclesias esse cameras, etc. — 6. Nisi tamen in limine foundationis Ecclesiae Fundator, seu aliquis insignis Benefactor sibi reservaverit jus habendi prospectum, seu ingressum in ipsam. — 7. Sedilia proponere in Ecclesia nemo potest absque facultate Rectoris Ecclesiae, et invito Episcopo, et si ab aliquibus apponantur, possunt a Rectore et Episcopo removeri. — 8. Ex tolerantia tamen vel licentia Episcopi, seu Rectoris Ecclesiae possunt Laici acquirere Jus retinendi sedilia in Ecclesia, non quoad dominium vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum Rectoris et Episcopi. — 9. Hinc non possunt Laici praedicta sedilia, seu scamna, aut eorum partem, seu eorundem usum, locum, aut situm alius cedere, donare, aut quoquomodo concedere, nisi Episcopi consensus accedat. — 10. Consensus Episcopi non requiritur expressus, sed sufficit tacitus. — 11. Unde non potest Episcopus, sicut nec Rector Ecclesiae Laicis auferre hujusmodi jus, si ab initio passus est eos habere, seu retinere Sedile in aliquo Ecclesiae loco. — 12. Nisi sic exposceret servitium, vel commodum Ecclesiae, vel Laicus praetenderet habere illud Jus, quoad proprietatem. — 13. Quando lis est inter privatos, super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate. — 14. Locus in Ecclesia possessus videntibus, et patentibus Rectore, toto Clero, et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita praescribitur per immemorabile. — 15. Adeoque nemini permittitur in praedictum hujusmodi Juris quaesiti ponere novam sedem ante veterem. — 16. Nec potest poni nova sedes ante veterem etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ, sed ea intacta assignetur alteri locus ante illam. — 17. Neque hoc casu praevalet oblatio facta, per assignatarium Ecclesiae pauperi. — 18. Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione praeminentiae, interdicta censetur situatio cujuscumque alterius sedis, ex qua praedictum praeminentiae primi inferatur. — 19. Dummodo tamen locus primus assignatus in communi hominum aestimatione reputetur aliorum hominum primus, ita ut consuetudo inibi sedendi suum operari non possit effectum praeminentiae si alteri designetur locus, qui reputari possit honorificentior. — 20. Et dummodo primus assignatarium cum Jure sedendi in certo loco acquisiverit etiam Jus prohibendi, ne alius loco superior alteri assignari possit. — 21. Jus autem sic prohibendi, ut acquiritur, requiritur, quod Ecclesia, vel quilibet alius interesse habens acquirerit prohibitioni. — 22. Ex simplici enim consuetudine sedendi in certo loco non inferitur ad Jus prohibendi ne alteri in diverso, et etiam praestantiori concedatur Sedes, et sepultura. — 23. Neque hoc modo praedictatur

habendi certum locum in Ecclesia, ut pro esset si a loco jam quaesito amoveretur. — 24. Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum etiamsi amovens esset Administrator. — 25. Si antiqua forma Ecclesiae immutetur in aliam structuram, sedilia Laicorum in illa existentia, reponi debent eodem ordine quo reperiebantur ante immutationem fabricae, vel in loco aequo digno. — 26. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in Ecclesia concessum alicui familiae vel descendenti, extincta familia transit ad haereditate extraneos, nisi taxative concessum fuisset illis de familia duntaxat, vel solis descendenti. — 27. Sedilia non possunt in Ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora orientur. — 28. Strata ad Ecclesias sibi deferri facere, nemini sub gravibus penis licere declaratur, exceptis duntaxat Personis Regalibus. — 29. Affertur decretum generale Sac. Rit. Congr. prohibens laicis osculum Evangeliorum intra missam, usum Baldachini in Ecclesiis, et assistentiam in Presbyteriis. — 30. Affertur quoad hoc aliud decretum generale. — 31. Hinc eadem Sacra Congregatio mandavit aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium juxta designationem porrectam a Magistro Cereemoniarum, non obstante quod Magistratus reperitur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. — 32. Magistratus Laicus non potest in Ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus. — 33. Affertur quoad haec varia resoluta dubia. — 34. Affertur quoad haec et alia varia decreta. — 35. Quae decreta, non obstante quod partes reclamarent, fuit sancitum esse omnino observanda. — 36. Qualis honor debeatur Praelato Praesidi Provinciae declaratur. — 37. Dedicatio Ecclesiae Festum potest ab Episcopo ex justa causa transferri in alium diem magis congruum ab evitanda concurrentiam alienorum Officiorum. — 38. Sanctis antiqui testamenti possunt dedicari Ecclesiae. — 39. Musica est de Jure permissa in Ecclesia. — 40. Episcopus potest prohibere, quod in Ecclesia non canantur in Musica nisi verba sacra, devota et Ecclesiastica. — 41. Episcopus potest prohibere non obstante quacunque in contrarium consuetudine, ne in Ecclesiis, et Oratoriis publicis canatur Musica, lingua vernacula, quantumvis cantuunculae, et verba spiritualia sint. — 42. Episcopus non potest prohibere Musicis, neque Officialibus Ecclesiarum, quod Musicam non canant nisi vocato Magistro Capellae Cathedralis. — 43. Est decretum generale S. C. esse tolerandam Musicam

Ecclesia potest capi dupliciter, scilicet in sensu morali, prout nempe significat Coetum, Conventum, Collectionem, aut Congregationem hominum, quo sensu Ecclesiam saepe accipit Scriptura, ut *Psal. 25. Odivi Ecclesiam malignantium*, et *Psal. 88. Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*, et *Matthaei 5. Convenit Ecclesia magna*, et ad *Romanos 16. Salutant vos omnes Ecclesiae Asiae*, et alibi passim, quo sensu etiam cuncti Fideles sub uno in Terra Capite, id est Papa, existentes vocantur Ecclesia, ut patet in cap. *Ecclesia 7. de consecrat. dist. 1. ibi: Ecclesia, id est Catholicorum Collectio*. Et potest capi pro ipsa Ecclesia materiali, scilicet pro Templo aliquo manufacto, seu Aede publica cultui Divino deputata, in quo Fideles ad colendum et invocandum Deum, Divina administranda et percipienda conveniunt. Unde de Ecclesia utroque hoc modo sumpta breviter erit sermo, et in primis de Ecclesia in sensu morali capta.

in Ecclesia exteriori Monialium praesertim in quibusdam Festis principalibus, ubi est talis consuetudo, ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam. — 44. Propter Ecclesiae reverentiam possunt expelli artifices prope illam obstrepentes, ac Personae infames, et sordidae ejus Divina Officia perturbantes. — 45. Stabulum prope Ecclesiam construi prohibetur. — 46. Competit Ecclesiae privilegium removendi stabulum, aliave loca sordida, tam ratione fetoris, quam indecentiae. — 47. Et praecipue si supra stabulum sit etiam aedificatum foenile, quod sit contiguum, vel annexum Ecclesiae, vel Monasterio. — 48. Datur hic Epistola Encyclica ad universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et alios Italiae, Insularumque adjacentium Ordinarios jussu Clementis XI conscripta, qua illis veneratio, ac reverentia Ecclesiis debita impensissime commendatur. — 49. An possint in Ecclesiis fieri ludi Theatrales, et Repraesentationes, seu comediae? *ad. n. 52. — 53. 55. Citantur Auctores de Juribus honorificis, quae in Ecclesia Laicis praestari debent.*

ARTICULUS VI. — *Ecclesia quoad ejus naturam, status varios, praerogativas ac regimini formam.*

1. 11. Generalis Ecclesiae notio. — 12. 14. Ecclesia Christi dupliciter sumi potest, secundum latam, et strictam significationem. — 15. 18. De Ecclesia priori modo accepta. — 19. 23. Divinae Providentiae cura in regenda Ecclesia in statu legis naturae. — 24. 31. Et in statu legis scriptae. — 52. 42. Novatorum haereses circa definitionem Ecclesiae strictae sumptae. — 43. De Notis Ecclesiae. — 44. 52. Ecclesia est Visibilis. — 53. 55. Notae Ecclesiae sunt omnibus obviae. — 56. Ecclesia est Una. — 57. Sancta. — 58. Catholica. — 59. Apostolica. — 60. 67. Quatuor istae Notae in sola Romana Ecclesia conspiciuntur. — 68. 72. Quanam reperiantur in Ecclesia. — 73. 76. De iis, quos Ecclesia e sinu suo excludit. — 77. 79. De Ecclesiae indefectibilitate. — 80. 85. — De Infallibilitate. — 84. De Primatu Romani Pontificis.

ARTICULUS VII. — *Ecclesia materialis quoad ejus antiquitatem.*

1. De Origine Ecclesiarum. — 2. Christiani initio habuere loca ad res divinas peragendas determinata. — 3. Alexandri Severi tempore publicam Ecclesiam habuerunt Christiani. — 4. Diluuntur difficultates. — 5. De antiquissimo ornamentorum usu in Christianorum templis.

ARTICULUS I.

Ecclesia in sensu morali capta, quoad ejus esse, et principales notas.

(1. Ecclesia est nomen graecum, quod significat evocationem, seu coetum vocatorum. Hinc usurpatur a nobis ad significandum coetum Fidelium, et aptissime nomine vocationis coetus Fidelium appellatur, quoniam ad coetum Fidelium nemo se instinctu proprio adjungit, sed Coelesti admonitus vocatione. Ecclesiae nomen aliquando sumitur generaliter, aliquando particulariter. (2. Nomen Ecclesiae sumptum generaliter est quid commune ad Ecclesiam *Triphantem*, quae est coetus in Coelis regnantium, sive hominum, sive Angelorum; ad Ecclesiam *Patientem*, quae est Congregatio hominum in igne pro purgandis peccatorum reliquiis probatorum; et ad Ecclesiam *Militantem*, quae est adunatio Christianorum contra salu-

tis hostes pugnantium. (3. Nomen Ecclesiae sumptum particulariter significat tantum Christi Ecclesiam Militantem; et Ecclesia sic sumpta, de qua solum in praesenti est sermo, sic definitur: (4. « Ecclesia est Congregatio, seu Coetus visibilis Baptizatorum sub uno Capite Christo in Coelis, et Romano Pontifice ejus Vicario in Terris, inter se in eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione colligatorum (1). » Est in re communis. Dicitur primo, *Congregatio*, seu *Coetus visibilis*, quia ut dicitur in *Ps. 18. In sole posuit Tabernaculum suum*, quod ibi de Ecclesia intelligit S. Augustinus dicens: « In sole posuit Tabernaculum suum, hoc est in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. » Et idem habet in *Epistola 166. ad Donatistas*: « Ipsa Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminos terrae. » (5. Dicitur secundo, *Baptizatorum*, quia nullus est Ecclesiae membrum, aut intrat Ecclesiam, nisi per Baptismum, qui est porta unica, et omnibus communis. (6. Dicitur tertio, *sub uno Capite Christo*, quia Deus ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, ad *Ephes. cap. 1, et cap. 3. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae*. (7. Dicitur quarto, *et Romano Pontifice ejus Vicario*, quia solus Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius, et contraria opinio Lutheri fuit tamquam haeretica proscripta a Leone X. Constituitur. incip. *Exsurge*, et est Lutheri error 23. ibi: « Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro constitutus: » tum quia ipsi in persona Petri dixit Christus Joan. 21. *Pasce Oves meas*, et licet spectet etiam ad hos Episcopos, aliosque Pastores regere Ecclesiam, hoc tamen est cum subordinatione ad Romanum Pontificem. (8. Dicitur quinto, *in eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione*, quia sicuti Ecclesiae membra sub uno et eodem Capite nempe Christo vivunt, sic eadem Fidei professione, et Sacramentorum participatione debent ipsum colere. (9. Dicitur sexto et ultimo, *inter se colligatorum*, quia non sufficit ad veram Congregationem, seu Coetum, qualis est Ecclesia, sola multitudo, sed requiritur insuper aliqua communicatio per preces, Charitatem, etc., ut verificetur Sanctorum Communio.

(10. Ad hanc Ecclesiam spectant non solum praedestinati, ut praetendunt Wicelista, Hussita et Calvinista, sed etiam reprobi,

(1) Non displiceret, si in hac definitione adderetur, et *legitimum Pastorum regimine*; immo probarem maxime, quod mentio haec *Pastorum*, a quibus Ecclesia regatur, ac praecipue Romani Pontificis Laonijum videam in Epistola ad Nicolaum Gatinaeum offendi, veluti re, de qua, ait, silere quotquot a Christo ad Concilium usque Tridentinum, et a Tridentino ad aetatem usque Bellarmini et Canisii Ecclesiam definire, aut describere: *istud enim*, inquit ille, *Pastorum regimen ad statum Ecclesiae pertinet, non vero ad Ecclesiae naturam et essentiam*. Sed egregie fallitur; militantis enim in praesenti statu Ecclesiae

cum isti, sicut illi, possint Christi Fidem profiteri sub uno Capite, et de facto Christus, Joan. 10. *Ecclesiam comparavit Ovili, in quo sunt Oves et hadi: et Matthaei 13. ipsam Ecclesiam comparavit Agro, in quo est bonum semen, et zizania*; Item *Matthaei 23. Ipsam comparavit decem Virginitibus*, ex quibus erant quinque prudentes, et quinque fatuae, ex quibus dantur intelligi praedestinati et reprobi. (11. Sic etiam ad hanc Ecclesiam spectant non solum justi, et perfecti, qui nullum habent peccatum, ut praetendunt Pelagiani, sed etiam ipsimet peccatores, quia per hoc, quod aliqui peccent peccato furti, homicidii, et hujusmodi, non rejiciunt propterea fidem Christi, aut Ecclesiae subjectionem.

(12. Ad hanc tamen Ecclesiam non spectant, sed ab ipsa excluduntur Pagani, Turcae, Judaei, qui numquam ad veram Fidem venerunt; unde Apostolus 1. *Ad Corinth. cap. 3, ait: Quid mihi de his qui foris sunt judicare? id est de infidelibus*. (13. Excluduntur etiam Catechumeni, qui licet sint Fideles possintque, si sic moriantur, salvari ratione Baptismi in Voto; tamen cum nondum Baptismum receperint, inter actualia Ecclesiae membra non numerantur, quia juxta Concilium Florentinum, et Sanctos Patres, homines fiunt de corpore Ecclesiae, cum baptizantur; unde Catechumeni non ligantur Ecclesiae Constitutionibus, et si revertantur ad Paganismum, aut Hebraismum, non possunt ut Apostatae haberi ac puniri. (14. Item excluduntur Haeretici, et a Fide Apostatae; cum enim ipsi veram fidem non profiteantur, nequeunt esse de corpore Ecclesiae, quae est Congregatio Fidelium ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter, de Summa Trinitate*: et ideo in Concilio Niceno cap. 8, dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redeant, quod signum est manifestissimum ab ea fuisse separatos. Et quamvis Ecclesia possit ipsos judicare, et punire, hoc non est, quia sint sua membra, et de suo corpore, sed quia debent esse, uti jam fuerunt, et ab ea sponte, et culpabiliter recesserunt. (15. Item excluduntur Schismatici, quia, licet idem credant, ac nos, ubi non sunt praecise Schismatici, per hoc tamen, quod unionem non habent cum capite, nec locum habere possunt in corpore. Hinc Ecclesia in die Parasceve orat pro Haereticis et Schismaticis, ut Deus ad Ecclesiam eos revocare dignetur. (16. Item excluduntur Excommunicati, quia ex quo privantur omni commercio spirituali, quod habent Ecclesiae membra inter se, non cen-

tradenda nobis definitio est, quam Lutherani et Calviniani suis coetibus et synagogis Satanae accommodare nequaquam possint; neque ulla definitionis hujusmodi pars minus ab illis usurpari posset, quam quae legitimum Pastorum sub uno Capite Romano Pontifice mentionem ingerit. Adde, Bellarmino, et caeteris hac in re aperte praevisse S. Cyprianum Ep. 69, ad Pup. ubi Ecclesiam definit. *Plebem sacerdoti adunatam, et Pastori suo gregem adhaerentem*. Vide Tournellium de Eccl. q. 7, art. 2. (EPI. BARBIEL.)